

frorum more. Tertio futura tunc vidua nostra Maria Marchioniffa, si Nos vivendo superabit, volumus, ut Badenis (nec enim recuperatum interim in Marchionatum per injuriam ereptum diffidimus, vel si nondum recuperatus esset, tamen liberis nostris nemo eripiet) in arce, quousque filii nostri adolescant, habitet & viduitatis beneficio pro singularibus litteris ista de reconfectis fruatur, vel si Nos citius moriamur, quam restitutio Marchionatus facta sit, volumus, ut tamdiu sit Castelloni, quousque commode Badenis esse potest: manentibus omnibus viduitatis Juribus, ut in literis sunt.

Quarto volumus, ut maximus natu filius noster Guilielmus vel illo deficiente proximus natu pleno jure omnes nostras provincias obtineat, tum illas, quas naturaliter possidemus, tum quæ nobis per vim ademptæ sunt, præter Comitatum utrumque Spanheimensem, quem reliquis fratribus laicis tum relinquet, cum post justam ætatem ad capeffendam gubernationem aptus erit nisi interim aliæ ditiones nobis vel illis accrescant: vel nisi executoribus hujus nostræ dispositionis, & simul eorum tutoribus & curatoribus (quos eosdem esse volumus ut sequetur) aliter ex re familiæ esse videbitur, quibus surper isto negotio quicquid expedire splendori familiæ judicaverint, plenam facultatem concedimus & ratum habere volumus, tanquam si jam factum esset.

Quinto, filias nostras, si plures erunt, quasdam vitæ monasticæ devoveri jubemus, reliquas honeste pro statu nostro & pro tenore abavitæ dispositionis elocari & dotari.